

Si denique & distantiam à statione tuâ ad altitudinem cupis cognoscere, operare istum in modum: Sume Regulam foramineam, & colloca illam in Dioptrâ G. adhuc punctis 310 insistente, & dirige eam versus Instrumentum H. reperiensque puncta 356. quæ distantia est ab Instrumento tuo usque ad altitudinem Turris.

## CAPVT XII.

*De Instrumenti usu in dimetiendâ altitudine Turris in fossa sita, ad cuius plantam accedi nequit.*

**M**ENSURVS Turrim, in profundâ fossâ sitam, ubi proinde stationem habere nequeas, eo modo, ut dictum, ita tunc operare: Elige tibi duas stationes, de quarum utraq; Turris plantam possis videre, & superfige Instrumentum Baculo secundum planum, veluti cap. 6. dictum. Semicirculum tunc dispone, ita ut paululum declinet cum litterâ c. versus Turrim & profunditatem fossæ, volveque Regulam A E. versus alteram stationem. Regulâ & semicirculo firmatis volve Regulam A F versus plantam Turris, & hac etiam firmatâ nota semicirculi numerum: reperiensque gradus 80. His notatis in cerâ, progredere ad alteram stationem, & Instrumentum iterum dispone ut declinet, velut antè, Regulamque A E volve versus primam stationem. Instrumento firmato metire quantum stationes ambæ à se distent, reperiensque pedes 110. super quos volvito Dioptram G. Volve & tunc Dioptram H. tantisper, dum Turris plantam conspicias, reperiensque puncta 137. in Regula ad Dioptram H. Tot igitur pedes sunt, nempe 137. à prima tua statione, secundum directum ad Turris plantam.

Aufer tunc Instrumentum à Baculo, & illud ad latus dispone, volveque semicirculum B cum Regula A F ad plantam Turris: quibus firmatis volve Dioptram H. ad puncta  
137. tot